



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 102. Aliud Navarræ Regis edictum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI  
A.C. 1589.

& denique Lugdunensis Archiepiscopus unacum pluribus aliis in Ambasiana arce, cui Guastus præerat, subsistere cogebatur.

Demum edictum, quo Senatus transferebatur, die vigesima secunda Aprilis promulgabatur, ac paulopost Rex de nominandis hujus Curie Ministris cogitabat: cum autem Riomagensis in Alverniis pariter seditionem concitarent, Rex aliud edictum promulgare cogebatur, quo Francici ærarii tribunal Claromontium fuit translatum. Alio etiam edicto Rex Maduani, & Aumali Ducum, omniumque fœderatorum, qui in rebellibus urbibus permanerent, bona proscripita, Regisque ærario adjudicata declarabat, adjecto mandato, ut hæc bona plus offerentibus publice venderentur, ac pecuniæ exinde hausta in belli sumptus impenderentur.

§. CII.

*Aliud Navarræ Regis edictum.*

Thuan. l. 95.  
Mem. de la  
Lig. l. 3.  
pag. 239.

Denique Rex unius anni inducias cum Navarræ Rege sanciebat, qui libenter huic pacto annuens, mentis sue declarationem die vigesima nona Aprilis ad Senatus acta referri concessit: priusquam vero id fiebat, idem Navarræ Rex aliud vulgabat edictum die decima Aprilis Sanmurie datum, quo eos



eos pro hostibus habere se profitebatur, qui conjuratione facta Henricum III. Regem suum legitimum oppugnantes regium nomen deleverunt, Curias Regni de tribunali dejecerunt, & primarios earum Præsides aut crudeliter occiderunt, aut in carcerem injuriose detruserunt, ac sacræ Sedis sigilla confringentes omni divino, humanoque jure calcato, Galliam ferro, flammisque, & cruore miscere non abhorruerunt. Sexta post die, seu vigesima quarta ejusdem Mensis idem Rex aliud edictum proponebat ad Protestantes sibi addictos directum, quo de induciis nuper cum Rege initis eos certiores reddebat, simulque eis injungebat, ne fideles summi Pontificis, Regisque subditos ulla molestia afficerent, ulloque pacto Religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ libertatem turbarent, aut quempiam propterea divexarent.

Sæcul XVI.  
 A. C. 1589.

§. CIII.

*Fæderatorum furor accepto induciarum nuntio.*

Hucusque Regis auctoritas, ejusque Persona non nisi scriptis, quorum Authores sua nomina occultabant, lacescebatur, quamprimum vero induciæ ab Henrico cum Navarræ Rege fuerant

Thuan. l. 95.

Xx 5

initæ,